

Romanos non seruasse simplicitatem iuris naturalis, sed retenta eius decisione, alias excogitasse rationes, ob quas id reciperent. Has autem rationes quum ipsi exhibeant, intelligitur, non regulae, sed exceptionis iure Romanos hoc in iudicio vniuersali constituisse. Contraria ergo ratione non improbabiler forte dici poterit, in iudicio singulari, quia nec fructus ipso iure rem augent, nec pretium in locum rei succedit, Romanis placuisse, vt possessor lucraretur, quod ante litem susceptam e fructibus consumserit. Caeterum silentio praetereundum non est, ea, quae Imperator IVSTINIANVS de similitudine vtriusque iudicii, tam vniuersalis, quam singularis, ratione fructuum restitutionis statuit, omnino HOEFLERI sententiae conuenientia videri. *Etsi hereditas petita sit, inquit Imp. o) eadem circa fructus interueniunt, quae diximus interuenire in singularum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpa sua possessor non perceperit, in vtraque actione eadem ratio praene habetur, si praedo fuerit; si vero bona fide possessor fuerit, non habetur ratio consumtorum, neque non perceptorum.* Sed non puto, tantam huius loci esse auctoritatem, vt omnia illa vincat, quae supra protulimus huius rei testimonia veterum Ictorum, quum non ignotum sit, interdum TRIBONIANO aliquid accidisse humani. Neque tamen illi interpretationi calculum adicere possumus, qua vsus est FRICKIUS p) in explicandis verbis: *neque non perceptorum.*

F 3

Minime

o) in §. 2. I. de offic. iud.

fidei possessoris circa fructus e re aliena

p) in cit. dissert. de iure bonae perceptos §. 4. pag. 12.